Universitätsbibliothek Paderborn

Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda

Avitus, Alcimus Ecdicius
Marius Victor, Claudius

Lvgdvni, 1536

Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12149

Visual Library

Nam ſenſu erigitur, tumidiſq; accenſa querelis
Fertur in inſanas laxata ſuperbia voces.
Heus (ait) infauſto mulier coniuncta marito
Quam ſociam miſero prima ſub lege dediſti,
Hęc me conſilijs vicit deuicta ſiniſtris:
Et ſibi iam notum perſuaſit ſumere pomum.
Illa mali caput eſt, crimen ſurrexit ab illa.
Credulus ipſe fui, fidei ſed tu vnicus auctor,
Cōnubium donans & dulcia vincula nectens.
Atque vtinam fœlix quæ quondam ſola vigebat
Cœlebs vita foret: talis nec coniugis vnquā
Fœdera ſenſiſſet comiti non ſubdita prauæ.

Mulier quā dediſti mihi ſociam dedit mihi de ligno & comedi. Gene. 3.

CAPVT V.

HAc igitur timidi cōmotus mente creator
Męrentē verbis compellat talibus Euam:
Quur tua deceptum traxiſti in vota maritum,
Nec contenta tuo deceptrix fœmina caſu
Sublimi ſenſum ieciſti ex arce virilem?
Illa pudens, triſtiq; genas ſuffuſa rubore,
Auctorem ſceleris clamat decepta draconem:
Qui vetito pomū perſuaſit tangere morſu.

Serpens decepit me & comedi. Gen. 3.

Caput